Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 295
Quelle:
Copyright:

conſcripti Euangelii ſecundum Mattheum. VII. *De rationabili ordine in Euangelium perueniendi.* Poſtea incipit ipſa Expoſitio hoc rubro: *Incipit Euangelium kata Mattheum. Liber Generationis Jheſu Chriſti. In hoc exordio ecclypſis hoc eſt defectus neceſſariarum dictionum eſſe uidetur. Sed ut plenus ſenſus conſtare queat quędam ſunt ſubaudienda.* &c. Tota conſtat Libris IV. quorum *Primus* ad Caput CII. et ea verba: *Johannes autem cum audiſſet* &c. *Secundus* ad Caput CLXVI. et verba: *Venit autem Jeſus in partes Cæſareae* &c. *Tertius* ad Caput CCXXV. et verba: *Congregatis autem Fariſeis interrogavit eos* &c. *Quartus* ad Caput CCCLV. et *Matthaei* finem pertingit. Ultima ſunt: *Poſt hanc nos uitam ad uidenda ſecum uitę caeleſtis praemia ſubleuet. In qua uiuit et regnat cum patre deus In unitate ſpiritus ſancti. per omnia ſaecula ſaeculorum. Amen.* Subſcriptio litera quadrata: *Finit Collectaneum Sedulii in Mattheum ex diverſis Patribus excerptum. Deo gratias.* Patrum nomina, quos in aciem educit, ad marginem prima ſyllaba aut litera notantur; ſunt vero *Origenes*, *Hilarius*, *Ambroſius*, *Hieronymus*, *Auguſtinus*, *Maximus*, *Eucherius*, *Severianus*, *Fauſtus*, *Leo*, *Fulgentius*, *Caſſiodorus*, *Gregorius M. Iſidorus*, et *Beda*. Ὁμώνυμον etiam ſuum *Sedulium* Poetam pluries excitat, ita ex cauſſa bis ad Expoſitionem *Orationis dominicae*, nobis *fol.* 49. et 51. Praeterea *Capiti I. Matth.* ſubjicit, quod ſequitur: *Incipit Tipicus ac Tropologicus Eiusdem Genelogiae Intellectus, quem Sanctus Aileranus Scottorum ſapientiſſimus expoſuit. Ailerannum hunc* cognomento *Sapientem*, Scholae *Cluainerardienſis* in *Hibernia* magiſtrum, geſtorumque S. *Patricii* ſcriptorem ex *Annalib. Ultonienſ.* apud *Th. Tannerum ſuprac.* obiiſſe diſco an. 664. aut 65. quanquam *Fabricius b. v.* illum ad Sec. VIII. referre malit. Praeſentem illius *Tractatum*, ſed, ut in Praeloquio ait, *prob dolor! imperfectum* primus e Codice *Sangallenſi* produxit *Patrit. Flemmingus* O. M. *Lovanii* 1667. Unde in *Bibliothecam PP. Lugdun.* T. XII. p. 37. receptus eſt. Ultima ibi ſunt: *In Aſſur, ut adiuuante domino* — —. Noſter lineis 36. prolixior, integer eſt, finitque: *cunctis credentibus et electis in domino conueniat.* Poſtremo denique *Sedulius* noſter ad *Cap.* III. *Matth.* nobis *fol.* 22. ita ſcribit: *Eſt autem locuſta, ut Archulfus refert, paruum animal uolatile in modum pollicis manus* &c. *Archulphus* Epiſcopus Gallus ex Oriente redux obiit in confinio Sec. VII. et VIII. priusque *Adamnano* Abbati *Hiienſi* O. S. B. in *Scotia* dictavit Libros III. *de Locis Sanctis*, quos poſt *Jac. Gretſerum* edidit *Joh. Mabillonius* in *Actis SS. O. S. B. Sec.* III. P. 2. p. 502. Locus noſter de *Locuſtis* habetur L. II. c. 23. Ex his itaque de *Sedulii* aetate conjicias, cujus praeſens *Collectaneum* non inu-